



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Dispensatio non debet esse leuis, & absque causa rationabili.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

216 **Dispensatio.**

de detractione materialiter dictum est) antequam iudicium feratur de mortali peccato.

Dispensatio non debet esse leuis & absque causa rationabili.

Dispensare in lege siue voto, & similibus absque rationabili causa, peccatum est: quia actus est voluntarius, dissonus rationi rectæ. Est autem veniale huiusmodi peccatum in paruis.

In iis autem quæ notabilia sunt considerandum est, si aliquid interuenit contra diuina præcepta seu bonos mores, vel non: & sic iudicandum est de mortali, vel non mortali. Verbi gratia: si absque rationabili causa dispensetur quis, vt habeat multas Ecclesias, & patet aut creditur, vel probabiliter dubitatur inde prouenire, quod Ecclesiæ priuantur debitis curis animarum, peccatū mortale proculdubio incurritur: quia contra diuinum ius est, vt priuetur Ecclesia debita cura animarum. Et similiter si absque rationabili causa dispensaretur: vt multa Ecclesiastica beneficia cum excessiuis prouentibus vnus haberet, peccatū mortale est, quia cōtra naturale ius est: vt cōmunia bona (qualia sunt beneficia Ecclesiastica) ita iniquè distribuuntur, vt vnus ebrius sit, & infiniti esuriant.

Idem autem est iudicium de dispensatione in voto seu iuramento: quia ex diuino iure obligant. Nec est tutus in conscientia quò ad Deum, qui dispensatur, in istis sine rationabili causa etiam à Papa motu proprio, & certa sciētia, & de plenitudine potestatis: quia Papa non habet potestatem in destructionem: sed ædificationem corporis Christi.

Diuinitio in quantum diabolico inniitur auxilio, peccatum mortale est.

Diuinitio, pro quanto significat indebitam usurpationem cognitionis futurorum euentuum, vel prætor